Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Dan. Stalii Regulae Philosophicae explicatae & Orationes aliquot

Stahl, Daniel

Jenae, 1662

Vorwort

urn:nbn:de:bsz:31-102400

Visual Library

LECTOR BENIVOLE

ACcepiſti hactenus ex Scriptis Stalianis Tabulas Metaphyſicas, amplificatas acceſſione Diſcurſuum ſuper ipſas habitorum; & deinde Notas atq; animadverſiones in Compendium Dialecticæ b. D. CONRADI HORNEII. Nunc damus tibi Regulas Philoſophicas explicatas, & aliquot Orationes. Et has quidem anteà nunquàm vidiſti excuſas, iſtas autem (Regulas) ſæpies, tàm hîc Jenæ, curante ipsô B. Auctore, quàm etiam, ipsô inſciô & invitô, Gieſſæ, Marpurgi, & Rintelii. Hoc autem queî factum fuerit, cùm ſcire Te neceſſarium duxerimus, breviter exponemus, Vixit Vir laudatus in Univerſitate hâc, & privatâ informatione Studioſorum multos conſumſit annos antequàm Profeſſioni publicæ fuit præfectus. Cùm autem nullam rem aliam meliùs juvare diſcentium ſtudia nôrit, quàm explicationem Regularum illarum quippe quarum uſus in omni diſciplinarum genere, omnibusque Diſputationibus eſt frequentiſſimus, hinc proponere

nere eas Studioſæ Juventuti curæ cordiq́ꝫ
ſemper habuit. Et primùm quidem Anno
M DC. XXII. conſcripſit IIX. Diſputationes
Publicas, in eisque explicuit Regulas nobilio-
res CIV. Poſtmodum autem ad officium Pro-
feſſorium evectus, iterum adgreſſus eſt hunc
laborem, Regulasq́ꝫ ante aliquot annos bre-
viter, & ut iſtius temporis ratio tulerat, pro-
poſitas, recognovit, correxit, auxit. Quod
quidem fecit ſaltim in privato aliquo, ut vo-
care ſolent, Collegio, præſentibus Auditori-
bus non admodùm multis. Factum autem in-
tereà, dum quas illi calamo exceperunt, aliis
deſcribendas dederunt, & hi iterum aliis, ut
hinc inde diſtractæ & delatæ ipſæ, tandem in
Typographorū manus venerint, lucemq́ꝫ pu-
blicam, præter omnem Auctoris ſpem & inten-
tionem, viderint. Quod ipſum ægrè ferens
Vir beatus, præprimis ubi vidit, planè nulli
uſui poſſe eſſe Studioſis mendoſas & corruptas
oditiones illas, conſilium cepit de alia meliore
paranda. Tertiâ proinde vice accinxit ſe ope-
ri, & iterum Diſputationes inſtituit publicas.
Primam etiam Partem, feliciter abſolvit
Anno M.DC XXXVI ſecundamq́ꝫ pariter ince-
pit Anno proximè inſequuto M. DC XXXVII.

verùm

verùm(quæ eſt miſeria hominum) oculorum invaletudine correptus, in ſexta ejus Diſputatione ſubſtitit; qin ne hanc quidem prelo commiſit. Viſus enim imbecillitas cùm omnem Auctorum lectionem, quam tamen neceſſariã eſſe ad lucubrationes ejusmodi, qvivis novit, impediverit, pergere non potuit, ut maximè voluerit. Et quandumvis ſemper meliorem ſanitatẽ ſperârit, ſpes tamẽ omnis fuit inanis; contrà verò morbus cũ ætate quotidiè creſcens, & vires Medicinæ penitus eludens, longè graviora minatꝰ fuit mala. Ut iis tandem motꝰ Vir optimꝰ, decreverit, quod forſan ſupereſſet diecularũ, recognitioni ſuorũ ſcriptorũ impẽdere, & ſi fortè ad votũ elaborare & perficere omnia ob dictas cauſas nequiret, revidere ſaltim & ita edere, ut majorẽ ex iis uſũ percipere poſſet Studioſa juventꝰ ac percipit ex exemplaribus MSS aut in locis alius excuſſis. Admovit itaque manum operi Anno ſuperiori M. DC LII. edidiqꝫ Partem Primam Quæſtionum Logicarum. Poſtinde monitus, ut etiam Regularum harum Philoſophicarum memor eſſe vellet, partiri operã conſtituit, & partẽ impendere Regulis, partem verò Parti ſecundæ jammodò dictarum

Quæ-

Quæſtionum Logicarum, Vix autē ac ne vix quidem ubi inceperat, inopinus morbus ipſum invaſit, & paucos poſt dies morti tradens omnibꝰ laboribꝰ finē impoſuit. Proinde, LECTOR BENIVOLE, Regulas hasce tales Tibi damus. quales à B. Auctore relictas accepimus, Et prima quidem Pars tota ea eſt, quæ ante viginti annos hîc Jenæ fuit excuſa. In fine verò ejus additas videbis quatuor Regulas, quas Auctor brevi ante obitum ſuum correxit & auxit; licet num ultima (quarta) ad finem perducta ſit, dubitemus Deinde in Parte altera quinque priores Diſputationes iterum eædem ſunt cū iis, quas annô M. DC. XXXVII editas eſſe ſuprà diximus. Sexta autem Diſputatio, quæ acceſſit, & Regulas aliquas pertinentes ad doctrinam de Inſtrumento, fine, principio quod & quo, continet, nova eſt, nec anteà unquàm lucem vidit. Reliquas, quæ ſequuntur omnes, fatemur contineri etiam in Giſſenſi, Marpurgenſi & Rintelianâ editione nec cum præcedentibus à B. Auctore eſſe recognitas; interim deprehendes, in earū lectione, quod longè correctiores & auctiores ſint, quàm quæ in dictis editionibus leguntur. Edidi-

mus

BLB BADISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Baden-Württemberg

mus enim eas ex ipſo Autographo, & plenum ſenſum omnibus tribuimus. Cæterùm cùm hinc inde in toto hoc opere mentionem fieri viderimus terminorum Cauſæ, principii & principiati, Cauſæ *item* efficientis, & ejus diſtinctionum ac diviſionum, *addimus Theſes iſtas, quas B. Auctor de illis conſcripſit, quæque etiam nunquàm lucem viderunt. Poteſt autem ex iis perſpici, quæ de abſtruſa & difficili materia hac ultima Auctoris fuerit ſententia. Tandem denique adjecimus etiam aliquot Orationes, quas diſtinctis temporibus olim hîc habuit. Adjecimus verò ideò, quod paucæ ſint, nec lucem modò ex Regulis accipiant, ſed eandem etiam ipſis tribuant. Pluras quidem habitas ab Ipſo fuiſſe audimus; verùm has ſolas quia in Bibliotheca Ipſius invenimus, edere nunc voluimus. Alias plures explorare & accipere ſi poterimus, ſuô tempore etiam edemus. Hoc autem ultimò te petimus, Lector, ut ſi legendo ſcriptum, non æqualem ubivis* ἀκρίβειαν *deprehenderis, cogitare velis, quod nec omnia eôdem tempore concepta, paucisſſma verò correcta ac recognita à B. Auctore fuerint;*

adeoq́;

adeoq; ſic & Ipſi & nobis, quod meliora Tibi illa non dederimus, ignoſcere, Quod quidem quia in ſe juſtum & æquum eſt, ultrò nobis à Te promittimus.

VALE.

SUMMA